

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

B. D. I. 205. L. N. 911.
3-138
8°
~~ex 2~~ ex. 3
DA.
Box

LN 911
ex. 3

Kay Hansens

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

BREVIS REPETITIO DOCTRINÆ de vniuerſali Gratia.

per

Nicolaum Hemmingium.

Iacob. 4. Verſ. 6.
Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

HAFNIÆ
Impreſſit Iohannes Stockelman. 1595.

Sum ex libris philippi Meurerj. I.V.D.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

BREVIS REPETITIO DOCTRINÆ de vniuerſali Gratia.

per N. H.

Lectori. S.

Accipe, Lector, hanc Epitomen de Vniuerſali Gratia, eo animo quo eam tibi offero. Gratiam vniuerſalem voco non quæ omnibus contingit, ſed quæ omnibus offertur, cuiuſq; omnes participes fieri poſ-

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Haags Samling 1970.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

possunt qui volunt obedire Euangelio. Non est, teste Paulo, distinctio siue scilicet peccatum spectes siue Gratiam, vt enim omnes peccauerunt: Ita concluſit Deus omnes ſub peccato vt omnium misereatur. Omnes, ait Paulus, vos filij Dei estis per fidem in IEſu Chriſto quotquot enim baptizati estis in Christum, Christum induistis, non est Iudæus neq; Græcus, non est ſeruus neq; liber, non est Maſculus neq; Fœmina, omnes enim vos vnus estis in Chriſto IEſu, ſi autem vos Chriſti, Ergo ſemen Abrahæ estis &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

ſecundum promiſſionem hæredes. In his perſiſtito pie Lector, nec ſinas te hinc abduci vllius quantumuis ſapientis & magni nominis Sophiſtica. Vale & viue in Chriſto vita noſtra vt æternum viuas, AMEN.

Nicolaus Hemmingius.

PRÆ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

PRÆFATIO.

PAulus Roman: 9. 10. 11. *mandatum Christi quod est Marci ultimò declarans Ecclesiam Dei, non intra angustos limites alicuius nationis claudit: sed eam ad fines usq; orbis terrarum extendit: unde fit ut Ecclesia iam sit & dicatur* CATHOLICA, *hoc est, non unius familiæ, nationis & populi sed uniuersalis per totum terrarum orbem dispersa. Mandatum Christi. hoc est: Ite in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur. Omnis ergo qui credit, cuiuscunq; nationis, conditionis aut sexus fuerit, filius Dei nascitur, & secundum præscientiam Dei electus est & prædestinatus ad uitam æternam. Qui uero non credit eius filius est cuius opera facit, hoc est, Diabo-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

li & ſecundum præſcientiam Dei repro-
bus eſt & abiectus. Ex mandato filij ſu-
matur Regula de propoſito patris alios
ſaluantis alios damnantis, hæc uidelicet:
Propoſitum Dei de ſaluandis & damnan-
dis manet firmum ſecundum uerbum pro-
miſſionis & comminationis. Iam ad Pau-
lum ueniamus.

Occaſio: cap. 9. 10. 11.

Cum Paulus Romanis ſcriberet, mul-
ti Romæ erant Iudæi quorum non pau-
ci calumniabantur doctrinam Pauli hoc
modo:

Si Ieſus quem prædicat Paulus, eſſet
Meßias ſemini Abrahæ ſeu Iſraëlitis pro-
miſſus, reciperetur ab Iſraelitis, quod non
fit: & non prædicaretur gentibus, quod
fit. Hanc obiectionem Paulus ſcripturis
diluens definit ſemen Abrahæ ſeu ueros
Iſraelitas eſſe filios promiſſionis, hoc eſt,

eos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

eos omnes qui insistunt uestigijs fidei Abrahæ, siue à Iudæis, siue à gentibus originem ducant secundum carnem.

Sententia Trium: cap. Epist.

Paul. Rom. 9. 10. 11.

Quemadmodum in familijs patrum uidelicet Abraham & Isaac illi soli qui habebant promissionem scribebantur primogeniti & hæredes patrum suorum in terrenis bonis, ut Isaac & Iacob, exclusis Ismaele & Esau, qui non habebant promissionem: Ita in uniuerso mundo seu in familia Dei, illi soli qui habent promissionem adoptionis scribuntur hæredes Dei in cœlestibus bonis, ut Iesus Christus & in ipso omnis qui credit. Habent enim omnes credentes promissionem adoptionis in CHristo IESV, *nam in* CHristo *per fidem nascuntur filij* DEI: *& quia sunt filij, hæredes quidem sunt* DEI,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

cohæredes uero CHristi, Roman: 8. Vers: 17.

ORDO.

Disputatio Pauli Rom. 9. 10. 11. de Ecclesia & de prædestinatione quatuor constat: Exordio, Expositione, Contentione & Epiphonemate. Ego autem hic tantum de expositione, nonnulla adijciam, cuius expositionis probatio nobis sit Apostolica auctoritas. Tunc enim sufficit rerum narratio seu expositio, quando probatio in auctoritate dicentis posita est.

Expositio disputationis Paulinæ hoc Argumento continetur.

Vt non omnes nati ex semine Abrahæ secundum carnem, sunt filij iure successio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

ceſsionis in terrena hæreditate, ſed tantum qui habent promißionem ut Iſaac & Iacob cum ſuis poſteris quorum multi fuerunt increduli & perierunt: Ita non omnes qui ſunt filij iure ſucceßionis, ſunt filij Dei & hæredes cœleſtis hæreditatis ſed tantum qui habent promißionem, ut omnes inſiſtentes ueſtigijs fidei Abrahæ, id eſt, credentes ex quibuſuis parentibus orti ſiue Iudæi fuerint ſiue gentiles: non enim eſt diſtinctio. Partes huius Argumenti ordine probantur & Typicè declarantur.

TYPVS.

Non omnes qui ſunt ex Iſrael [ſcilicet per carnalem propagationem] ſunt Iſrael (iure ſucceßionis in hæreditate] neq; quia ſunt ſemen Abrahæ (carnale) omnes filij (iure ſucceßionis in paternis bonis) ſed in Iſaac (habente promißionem)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

nem) uocabitur tibi ſemen (id eſt, Iſaac reputabitur filius tuus & hæres non autem Iſmael.)

Antitypon.

Hoc eſt (ueritas Typo reſpondens hæc eſt,) Non filij carnis (id eſt, non nati Deo uel ex ſanctiſſimis parentibus ſecundum carnalem naſcendi modum) hi ſunt filij Dei, (Adoptione & gratia) ſed filij promiſſionis (id eſt, omnes quibus facta eſt promiſſio Adoptionis in Chriſto IEſu) reputantur in ſemen (annumerantur filijs Dei ex qualibuſcunq; parentibus orti ſecundum carnem.) Eſt autem hic diligenter obſeruanda duplex promiſſio, una hæreditatis terrenæ, quæ eſt ſeminis Abrahæ cui facta eſt promiſſio de terra Chanaan. Altera, hæreditatis cœleſtis quæ eſt ſeminis Dei, hoc eſt, omnium credentium. Omnes enim credentes quia

per

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

per fidem ſunt in Chriſto (cuius Typus fuit Iſaac) ſemen Dei ſunt. Ex hac Typi & Antitypi collatione ſequens demonſtratio concluditur:

Quemadmodum in familia Abrahæ & Iſaac illi ſoli qui habebant promiſſionem reputabantur filij primogeniti & hæredes paternæ & terrenæ hæreditatis, excluſis cæteris fratribus ſecundum carnem: ita in uniuerſo mundo (id eſt, in familia Dei) illi ſoli qui habent promiſſionem Adoptionis cenſentur filij Dei & hæredes paternæ & cœleſtis hæreditatis, excluſis omnibus promiſsionem non habentibus.

Iam autem omnes credentes habent promiſsionem Adoptionis iuxta dictum, Iohan. capit. 1. Verſ. 12. &c. Quotquot receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis neq; ex uoluntate uiri, ſed ex Deo

nati

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

nati sunt. Marci ultimo. Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur. Gal. 3. Vers. 22. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

Omnis igitur qui credit filius Dei est, electus & hæres cœleſtis hæreditatis reiectis omnibus incredulis. Quapropter conſtans & firma ſecundum propoſitum Dei ſtat uniuerſalis cum promiſsio, tum comminatio. Promiſsio quidem: Omnis qui credit ſaluabitur, ut filius & electus Dei. Comminatio uero: Qui autem non credit peribit ut à Deo reiectus, Iohan. 3. Verſ. 26. Quantum autem ad Infantes Chriſtianorum attinet participes manent ut ueri rami radicis & pinguedinis oliuæ, hoc est fœderis initi inter Deum & Abrahamum ſemenq; eius (cuius rei teſtimo-

nium

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

nium est Baptismus) idq; donec steterint in radice & non defringantur aut præcidantur propria incredulitate. Roman. 11. Vers. 20.

Hinc etiam manifestum est, curnam Electio sit particularis tametsi gratia uniuersalis. Gratia enim pendet à sola misericordia DEI uolentis non mortem sed uitam peccatoris conuertentis se. Electio autem pendet ex conditione fidei, quæ fides non est omnium: quia multi se contumaciter opponunt Euangelio & Spiritui sancto. Huc pertinet querela Domini: Multi sunt uocati, pauci uero electi.

Porro quoniam Paulus sex gradus actionum DEI in hoc Argumento ponit eos breuiter declarabo, sunt enim hi gradus.

Præscientia.
Electio.
Prædestinatio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

DE VNIVERSALI

Vocatio.
Iustificatio.
Glorificatio.

Horum tres primi gradus ad consilium DEI referuntur. Tres posteriores ad executionem pertinent. Nam quos præsciuit, elegit, prædestinauit ab æterno, hos uocat in tempore, iustificat & glorificat.

Præscientia DEI est certa notitia in Deo, qua Deus ab æterno omnia futura ex qualibuscunq; causis eueniant, præscit. Hac ergo præscientia præsciuit Deus, & eos qui crediturі essent & qui contumaciter se opponerent Euangelio, neq; tamen fit aliquid quia Deus hoc præsciuit, sed quia futurum erat, Deus hoc præsciuit. Iudas non prodidit Christum quia hoc DEVS præsciuit & Prophetæ prædixerunt, sed quia Iudas ex suapte malitia

litia ſuum Dominum erat proditurus, Deus hoc præſciuit & Prophetæ prædixerunt.

Electio eſt duplex, una terrena qua quis eligitur ad certam dignitatem & officium in terra ut Iſaac eligitur in hæredem Abrahæ. Iacob ad ius primogeniti in familia Iſaac. Dauid in Regem, &c. Altera, cœleſtis, quæ eſt credentium, Adoptio in filios Dei, hæc fit ſecundum præſcientiam, 1. Pet. 1. Electis ſecundum præſcientiam. Item, Roman. 11. Verſ. 2. Non repulit Deus populum ſuum quem præſciuit ſcilicet populum fore per fidem. Ideo, Eph. 1. dicitur. Elegit nos in ipſo ſcilicet Chriſto ante conſtitutionem mundi. Teneatur autem hoc loco quod Electio & Adoptio ſe mutuo definiant. Vt enim Electio eſt credentium Adoptio in filios Dei: ita Adoptio eſt credentium in filios Dei Electio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

DE VNIVERSALI

OBIECTIO.

Salus noſtra pendet ab æterna Dei Electione, Ergo non ex fide.

Reſponſio.

Collectio hæc inepta eſt. Nam contrarium concludendum eſt hoc modo: Salus noſtra pendet ab æterna Dei Electione. Ergo pendet ex fide. Conſequentiam probo: Electio Dei æterna [elegit enim nos ante iacta fundamenta mundi] pendet à præſcientia Dei [quos enim præſciuit, hos elegit) præſcientia Deus præſciuit, ut omnia, ita credituros. Crediturus in CHriſtum facta eſt promiſsio ſalutis iuxta illud: Quisquis crediderit, ſaluus erit. Item, Gratia ſaluati eſtis per fidem. Salus itaq; hominum pendet ex fide iuxta æternam Dei electionem.

Regu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

Regula.

Principale requirit ſubordinata media neceſſaria ad finem. Sunt autem ſubordinata media ad finem, id eſt, ad ſalutem noſtram neceſſaria: MEDIATOR: FIDES in Mediatorem qua renaſcimur: & NOVA OBEDIENTIA in Renatis.

Prædeſtinatio eſt præordinatio, & electorum ſeu filiorum DEI ad crucem & gloriam, Roman. 8. & Medij ad gloriam uidelicet prædicationis crucis (quæ ſapientia DEI eſt, 1. Corinth. 2. Verſu: 7.)

Quando ſcriptores extendunt uocabulum prædeſtinationis & ad ſaluandos & ad damnandos, in hunc modum definienda eſt:

Prædeſtinatio ſecundum præſcientiam Dei eſt præordinatio omnium homi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

num, credentium quidem ad ſalutem, incredulorum uero ad damnationem. Hæc definitio congruit cum mandato & promiſſione CHriſti. Marci ultimò concluditur ex diſputatione Pauli & habet totius ſcripturæ conſenſum.

Vocatio fit in tempore per prædicationem Euangelij, unde & κλητοὶ dicuntur propriè Paulo qui uocati ueniunt profitentes Chriſtianiſmum. Atq; hæc uocatio Dei eſt ἀμεταμέλητος, Rom. 11. Verſ. 29. Huius enim Deum non pœnitet. Vult ergo Deus omnium quos uocat ſalutem, modo eam fide amplecti uelint ueſte nuptiali induti.

Iuſtificatio eſt uocati & credentis Euangelio abſolutio à peccato, imputatio iuſticiæ Chriſti & acceptatio gratuita ad uitam æternam.

Glorificatio ſequitur iuſtificationem, nam quos iuſtificauit, hoc etiam ſignificauit & in præſenti uita & in futura, idq; maxi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

maximè ubi liberati ab insidijs hostium triumphabimus cum CHristo in omnem æternitatem.

Sed cur Paulus in enumeratione horum graduum utitur tempore præterito uocauit, iustificauit & glorificauit, cum multi nondum nati sint uocandi, iustificandi, glorificandi? Respondeo. Hoc fit propter duo uidelicet propter certitudinem euentus & propter præscientiam uocantis. Nam propter præscientiam DEI Christus, Iohan. 10. Vers. 16. ait: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili & illas oportet me adducere.

Paulus etsi ad tempus fuit lupus rapax, uastator ouilis Domini, secundum tamen præscientiam Dei fuit ouis: Nam conuersus ad Deum fit ouis obediens uoci pastoris sui. Atq; ita multi sunt hodiè uastatores ouilis Christi, ex quibus tamen aliqui secundum præscientiam Dei sunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

ques, quos Christus uoce Euangelij adducturus est suo tempore. Iam ad Typos & Antitypa redeamus.

Paulus duos Typos proponit ex quibus colligit propositum Dei de Electione & Reprobatione.

Primus Typus.

Vt Abraham pater in sua familia fuit Typus Dei patris in uniuerso mundo: ita Isaac filius fuit Typus Christi (& in Christo omnis credentis) reiecto Ismaele Typo incredulorum.

Vt Isaac est filius Abrahæ Natura & Electione: Natura quia ex semine Abrahæ natus est: Electione, quia prælatus est Ismaeli in successione: ita λόγος æternus est filius Dei Natura & Electione: Natura quidem quia est eiusdem essentiæ cum patre: Electione uero, quia in assumpta humanitate natus est filius ut ius habeat

habeat ſolus cœleſtis hæreditatis ſeu regni paterni. Sic omnis homo eſt filius Dei creatione: at qui credit naſcitur filius Dei etiam regeneratione.

Secundus Typus idem ſignificans.

Sicut Iſaac pater in ſua familia fuit Typus Dei patris in uniuerſo mundo: ita Iacob filius fuit Typus Chriſti (& in Chriſto omnis credentis) reiecto Eſau Typo incredulorum. Hinc in hanc ſententiam concludit Paulus de propoſito Dei alios eligentis, alios prætereuntis.

Quemadmodum propoſitum Dei manet ſecundum promiſſionem quia Deus elegit Iſaac in filium Abrahæ & in eiuſdem hæredem in terrenis bonis, excluſo Iſmaele à ſucceſſione: ita propoſitum Dei manet firmum ſecundum promiſſionem, qua Deus elegit Chriſtum in filium &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

hæredem cœlestium bonorum, de quo Psalm. 2. sic scribitur: Narrabo decretum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Huic addit comminationem, Adhortationem & Promissionem. Comminatio est hostium: Conteres eos, id est, contumaces Iudæos, in uirga ferrea, id est, gladio Vespasiani. Hortatio est ad dociles: Osculamini filium. Promissio: Beati omnes qui confidunt in eo.

Vt autem adhuc omnia fiant clariora, Schema propono, in quo omnia tanquam in speculo cernentur.

Schema.

1. Abraham.	1. Deus.	1. Deus.
2. Isaac.	2. Christus.	2. Renatus.
3. Promissio.	3. Promissio.	3. Promissio.
4. Hæreditas.	4. Regnum.	4. Vita æterna.

Decla-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

Declaratio.

Quemadmodum Isaac solus secundum promissionem fuit filius & hæres Abrahæ in terrenis bonis: ita Iesus Christus Filius hominis solus secundum promissionem est Filius & hæres Dei in regno patris. Atq; hoc est, quod dominus Nicodemum instruens de uita æterna obtinenda, magna cum asseueratione testatur cum ait Iohan. 3, Vers. 13. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo Filius hominis (IEsus Christus) qui est in cœlo. Ergo Filius hominis IESVS CHristus solus ius habet regni paterni.

Quid igitur hic dicemus de hominibus aspirantibus ad cœlestem hæreditatem, cum hæreditas illa sit solius IESV Christi Filij hominis? Cum certum sit & ex Typo & ex asseueratione domini constet neminem ascendere in cœlum nisi solum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

lum Filium hominis (qui & Filius Dei est Iesus Christus) necesse est, ut qui cœlestem hæreditatem appetit, per regenerationem inseratur Filio hominis (id est, Iesu Christo) ut eius membrum fiat, atq; adeo unus cum ipso. Ob hanc causam se hic Filium hominis nominat, nimirum ut ipsi iuncti efficiamur Filij Dei quo nobis in illo ascendere in cœlum liceat. Ideo dominus dicit Nicodemo Iohan. 3. Vers. 5. Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum Dei, quod natum est ex carne, caro est (id est, qui nascitur ex Adam, Adam nascitur, damnatus à damnato) Quod natum est ex spiritu, spiritus est (hoc est, qui natus est ex Deo, filius Dei est, & spiritu Dei agitur)

Porro, quomodo homo filius iræ nascitur filius Dei, docent Iohannes & Paulus, ut alios testes prætream. Iohannes quidem capit. 1, Versu: 11. ait:

Quot-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri ijs qui credunt in nomen eius, qui non ex sanguinibus neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri sed ex Deo *nati sunt.* Nam *credendo purgamur à peccatis nostris sanguine* CHristi, *iustificamur iusticia* CHristi *credentibus imputata, regeneramur spiritu* Christi *& nascimur filij* Dei, *qui spiritus* Christi *in corde credentium spirat nouos motus congruentes legi* Dei. *Horum omnium [quæ adiuncta sunt fidei] hoc est, purgationis à peccato, iustificationis per iusticiam* Christi *nobis credentibus imputatam, & regenerationis per spiritum sanctum,* Baptismus Symbolum *est.* Nam *baptizati in* Christum, *Christum induunt cum suis meritis modo credunt, nam sine fide* Baptismus *in Adultis ociosus est, sicut circumcisio in Iudæo non credente,* Roman. 2. Vers. 28. Paulus *uero,* Galat. 3. Vers. 26. *ait: Om-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

nes uos filij Dei estis per fidem in IEſu Chriſto, hoc eſt, Omnes credentes quia ſunt in Chriſto Ieſu nati ſunt filij Dei & dicuntur.

Cæterum quia iuſticia Dei requirebat aut pœnam commeritam peccatorum, aut λύτρον, quo ſatisfieret iuſticiæ Dei, Dominus ipſe & Typo & claris uerbis erudit Nicodemum de ſatisfactione ſeu λύτρῳ. Typus eſt Iohan. 3. Verſu. 44. Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Typo ſubiungit hæc clara uerba, Verſu. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam: Quia ſcilicet iam unus eſt cum Chriſto hærede uitæ æternæ, ſeu regni paterni.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

GRATIA.

In hanc ſententiam accommodat Paulus Typum Iſaac ad credentes, Galat. 4. Verſu. 28. Nos autem, fratres ſecundum Iſaac promißionis filij ſumus, hoc eſt, explicata ſimilitudine: Sicut Iſaac fuit filius Abrahæ ſecundum promißionem (nam Iſaac fuit Typus & Chriſti & membrorum eius, ſiquidem caput & membra unus Chriſtus ſunt:) ita omnes credentes ſunt Filij DEI *ſecundum promißionem de qua ſupra dixi.*

OBIECTIO.

Iſaac electus eſt in hæredem Abrahæ ſine fide propria, ſimiliter & Iacob à DEO *accepit ius primogeniti antequam, natus eſt in hanc lucem. An igitur & nos electi ſumus abſq; conditione fidei noſtræ? Reſpondeo. Abrahæ de Iſaaco futuro hærede facta eſt à* DEO

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

promißio. Hanc promißionem fide apprehendit Abraham, nam credidit DEO promittenti ac dicenti: in Iſaac uocabitur tibi ſemen. Rebeccæ matri Iacobi & Eſau facta eſt promißio de iure primogeniti Iacobi. Hanc promißionem fide amplexa eſt Rebecca tribuens DEO laudem ueritatis in ſuis promißis. Etſi autem Iſaac pater filium Eſau propter curſum & induſtriam in uenatione prætulerit Iacobo & uoluerit ipſum iure primogeniti gaudere. Rebecca tamen mater ſancto quodam, ut ita dicam, dolo, effecit, ut Iſaac pater Iacobo filio ius primogeniti cum benedictione conferret. Hic ergo tenendum eſt diſcrimen inter ſingularem promißionem & communem:

Singularis promißio terrenæ dignitatis non derogat communi promißioni hæreditatis cœleſtis, quarum illa abſoluta eſt, hæc conditionata.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

In familia Abrahæ: Ismael & Isaac habebant communem promißionem hæreditatis cœleſtis quæ ipſis circumciſione tanquam ſigillo DEI *obſignata fuit. Huic non derogat ſingularis promißio, quæ facta eſt Iſaaco de hæreditate terrena patris ſui Abraham, excluſo Iſmaële.*

In familia Iſaac: Iacob & Eſau communem promißionem habuerunt cœleſtis hæreditatis per fidem obtinendæ, quæ ipſis ſigillo Dei nempe circumciſione obſignata fuit. Huic communi promißioni non derogat promißio facta Iſaaco de iure primogeniti.

In familia Ieſſæ: Septem fratres fuere, qui omnes communem promißionem hæreditatis cœleſtis, teſtante circumciſione habuerunt. Huic communi promißioni non derogat ſingularis electio, quod Dauid minimus fratrum ſuorum electus eſt in Regem:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

Ad eundem modum in familia Dei, id est, in uniuerso mundo, communis promißio uitæ æternæ est omnium credentium. Huic communi promissioni nihil derogat diuersitas officiorum & uocationum in mundo, modo Decalogo non aduersentur.

Omitto quod omnibus notum est, non omnia requiri in Typo, quæ in Antitypo concurrunt, alioqui Typus & Antitypon idem essent. Nunc autem sunt discreta, siquidem Typus umbræ, & Antitypon corporis rationem habet. Sic discernit Paulus ad Hebre. 10. Versu: 1. Vmbram habuit lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.

Discernendum est igitur accuratè inter personalem, electionem ad certum munus in terris, & communem uocationem omnium hominum ad hæreditatem in cœlis, cum unus sit Deus omnium, ut creator, ita & Saluator. Illa pendet à

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

ſola uoluntate uocantis, hæc pariter & à uoluntate uocantis & à fide uocati. Qui enim non credit (de adultis loquor) ad hæreditatem cœleſtem nequaquam admittitur, ut qui extra corpus Chriſti in peccatis ſuis adhuc hæret.

Electus fuit Dauid in Regem populi Dei, ſimiliter & Saul. Electus fuit Petrus in Apoſtolum, ſicut & Iudas. Hæc Electio non in omnibus ſimilem habuit exitum. Dauid enim & Petrus ſaluati ſunt fide reiectis Saule & Iuda ob ſuam contumaciam.

Sciendum proinde eſt, quod ut Iſaac & Iacob non ſunt ſaluati, quia ille fuit hæres Abrahæ, hic primogenitus in familia Iſaac, ſed quia crediderunt: ita Iſmael & Eſau non ſunt damnati, quia excluſi erant à familijs patrum ſuorum propter politicum finem (uoluit enim Deus in plures quaſi colonias diſtribuere poſteritatem Abrahæ, ut conſtaret ex

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

qua tandem familia Christus nasceretur) sed saluati sunt modo crediderunt. Nam omnibus ex æquo data fuit circumcisio, quæ erat signaculum Dei, quo obsignauit Deus iusticiam omnibus credentibus non minus Ismael & Esau quam Isaac & Iacob. Circumcisio enim (ut promissio Dei) fidem circumcisi postulabat. Fieri igitur non potest quin Dominus illorum resipiscentiam & salutem uoluerit. Sunt enim ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ. Roman. 11. Versu: 29. Piè igitur Lutherus ex Esau reconciliatione & pietate erga patrem mortuum, resipiscentiam & salutem eius colligit tanquam ex fructu arborem.

Conueniunt quidem umbra & ueritas seu Typus & Antitypon in tribus. Nam ut Isaac & Iacob electi sunt ad certas functiones in terra, nulla neq; originis sanctæ, neq; conatus paterni, neq; meritorum propriorum habita ratione: ita

creden-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

credentes ſine ſanctitate maiorum, ſine conatu parentum & abſq; meritis proprijs electi ſunt ad hæreditatem cœleſtem, ſed mediante fide Chriſti, quæ de alieno & non de ſuo gloriatur. Teneatur dictum Domini abſq; omni Sophiſtica: ite in mundum uniuerſum & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui uero non crediderit condemnabitur. Habes hic apertam diſtinctionem à Domino nobis commendatam inter Electos & Reprobos. Electi ſunt credentes, qui uero non crediderint, reprobi ſunt.

Porro, quod promiſsio Adoptionis in Chriſto non claudatur ita anguſtis terminis, ut quidam uolunt, ſed potius extendat ſe promiſcuè ad omnes homines cuiuſcunq; fuerint nationis, conditionis & ſexus manifeſtum eſt. Sic enim Paulus Galat. 3. Verſ: 28. ait: Non eſt Iudæus, neque Græcus (hic tollitur natio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

num distinctio) Non est seruus, neque liber (hic remouetur dignitas & obscuritas personarum (Non est Masculus, neque Fœmina (hic adimitur sexuum differentia) sed omnes uos unus estis in Christo Iesu, Roman. 3. Vers: 2. Non est distinctio, omnes enim peccauerunt & destituuntur gloria Dei iustificati ipsius gratia per redemptionem quæ est in Christo Iesu, Roman. 10. Vers: 12. Non est distinctio Iudæi & Græci: idem enim Dominus omnium est, diues in omnes qui inuocant eum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini saluus erit, idque secundum propositum & εὐδοκίαν Dei, quæ duo nempe propositum & εὐδοκία Dei, non alibi quærenda sunt quam in uerbo DEI. Propositum immutabile, Gene. 3. Vers: 15. exprimitur: Semen mulieris conteret caput serpentis. Hoc propositum Dei ex mandato Christi, Marci 16. concludi supra diximus. Omnes

ergo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

ergo qui hanc promiſsionem fide amplectuntur electi ſunt, & adoptione filij ſecundum propoſitum Dei. De Beneplacito ipſe pater teſtatur, Matth. 3. Verſu: 17. Hic eſt Filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Et Angeli canunt: Hominibus εὐδοκία, id eſt, homines accepti ſunt patri in Chriſto. Beneplacitum ergo Dei non eſt alibi quærendum quam in Chriſto, in quo ſolo omnes qui credunt accepti ſunt Deo ut dilecti in dilecto. Nec aliud uult prædeſtinationis uox, ut ſupra clariſsimè oſtendimus.

Qui igitur quædam dicta Pauli torquent ad confirmandam ſuam ſententiam de particulari gratia quaſi Deus non uelit omnium hominum ſalutem, ſpiritui ſancto in Paulo loquenti iniuriam faciunt, & Typos quibus Paulus utitur non rectè accommodant ad ſuam particularitatem probandam. Non enim, ut par eſt, diſtinguunt inter electionem Typicam,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

ram, terrenam & temporalem, quæ est posterorum Iacob: Et Electionem ueram, cœlestem & æternam, quæ est filiorum Dei, hoc est, omnium credentium.

Habes mi frater sententiam ueram de Electione & Adoptione credentium in filios Dei luculenter expressam, quam ut spero, mecum amplecteris, quæ suauissimos fructus in corde credentium producit, uidelicet certam expectationem promissæ salutis, gratiarum actionem, timorem Dei castum, inuocationem, charitatem erga proximum, patientiam in cruce & alios fructus spiritus.

In hac doctrina qui constanter perstiterit firma suæ salutis anchora nititur, unde fit ut non turbetur ullis Stoicorum somnijs, quæ alios dubitatione frangunt, alios perplexitate inuoluunt, multos carnaliter securos efficiunt, non paucos in desperationem impellunt, ut prorsus à Christo deficiant, qui Christus omnibus

ex

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

ex æquo datus est, sed cum hac conditione, si oblatam Christi gratiam fide acceperint, ac ut decet filios Dei retineant fidem & bonam conscientiam usque ad finem.

Porro, quoniam salus nostra ex fide pendet huc duo de fide adijciam. Primum tradam discrimen inter fidem animalis hominis ac spiritualis: Seu quod idem est: inter fidem Philosophicam & Christianam. Alterum, Modum exponam, quomodo fidem spiritualis hominis, seu Christianam consequamur:

Discrimen hoc est: Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, hoc est, doctrinam spiritualem non intelligit. Quare? Quia fides animalis hominis, quæ & Philosophica dicitur continet se intra rationis fines, non transgreditur humanæ naturæ usum, non ultra experientiæ terminos progreditur. Verum fides spiritualis hominis quæ Chri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

ſtiana dicitur quia uerbo DEI nititur, transgreditur rationis fines, naturæ humanæ uſum & experientiæ terminos. Vt ergo animalis homo ſeu Philoſophus credit ſecundum operationem potentiæ roboris naturæ, ex quo fit ut etiam uiuat tantum ſecundum animam carnis uitiatæ & uitioſæ: ita ſpiritualis homo ſeu Chriſtianus credit ſecundum operationem potentiæ roboris DEI, Roman. 4. Verſu: 18. &c. Epheſ. 1. Verſu: 19. Ex quo fit ut etiam uiuat ſecundum ſpiritum renouatæ mentis.

Quomodo autem hanc fidem qua naſcimur filij Dei conſequamur, iam uideamus. Dominus ipſe Iohan. 17. Verſu: 20. & Paulus Roman. 10. Verſ: 17. Mittunt, nos ad uerbum, ex cuius auditu fides concipitur, hac enim creditur uerbo Euangelij non ſine gratia ſpiritus efficacis in uerbo. Deinde hanc fidem nactus homo excitatur ad inuocationem

Dei,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

Dei, in qua inuocatione fides fiduciæ in corde creatur. Nam iuxta filij Dei promissionem pater dat spiritum sanctum petentibus eum. Hic spiritus sanctus cor nouum creat in homine dum in eo fidem excitat eumq; regenerat, atq; hac fide homo iustificatur & acceptus est Deo in dilecto. Huius ordinis exempla habemus in peccatrice, Luc. 7. in Dauide, in Manasse, in Publicano, in Latrone, ut interim taceam omnium sanctorum experientiam. Hæc fides iustificans dicitur & donum Dei & opus Dei. Donum quidem Dei quia gratis petenti datur, opus uero Dei quia accepta est Deo, ut summum opus hominis, quo homo Deo acceptus est. Capernaitæ, Iohan. 6. interrogant Dominum his uerbis: Quid faciemus ut operemur opera Dei (id est, opera Deo grata) quibus Dominus respondens ait: Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille. Fides igi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

tur opus DEI dicitur, quia ea ſummè DEO placet, propter quam etiam reliqua obedientia grata eſt, & ſine qua nihil placet.

Hic obiter teneatur differentia operis Dei: dicitur enim opus Dei triplicíter. Primo opus Dei dicitur quod ipſe facit gubernans & conſeruans ſecundum ſuam prouidentiam omnia. Secundo opus DEI dicitur quod Deo probatur, ut Fides, Spes, Charitas, & quæ ex his manant. Tertio opus DEI dicitur, non quod ipſe facit ſed quod permittit ut eo utatur ad ſuam gloriam illuſtrandam. Vt induratio Pharaonis, quæ tamen obduratio habuit ſuam propriam cauſam in Pharaone uidelicet Tyranidem & crudelitatem in peregrinum populum. Quemadmodum Pharao etſi permiſſum erat ei ſæuire in populum Iſrael, idq; probandi eius cauſa: tamen non potuit ſua potentia impedire promiſſionem DEI factam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

factam filijs Israel de terra Chanaan possidenda: Ita Satanas etsi permissum est ei in mundo sæuire in Ecclesiam DEI, *idq; probandi eius caussa: tamen non potest sua potentia impedire promißionem factam Filijs* DEI *de regno cœlesti poßidendo. Atq; ita* DEVS *utitur malitia Diaboli & Pharaonis in suam gloriam. Quemadmodum enim nos sæpe bonis operibus Dei malè utimur in nostrum damnum: ita Dominus semper nostris malis operibus & Diaboli, benè utitur in suam gloriam secundum suam sapientißimam prouidentiam.*

Verum quoniam fides, ut ex dictis patet, non est humanarum uirium tantum, sed donum DEI, *tenenda est hæc Regula:*

Quicquid mandat Dominus ut faciamus, hoc ipsum iubet Dominus ut petamus, significans non solum conatum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

hominis & auxilium Diuinum ſimul requiri, uerumetiam DEVM *promptum eſſe ad præſtandum quod iuxta uoluntatem ipſius petimus.* 1. Iohan. 5. Verſ. 14. *Si quid petierimus ſecundum uoluntatem eius audit nos, hoc eſt, quod Dominus ipſe magna aſſeueratione ait,* Iohan. 16. Verſu: 23. *Quicquid petieritis patrem in nomine meo hoc dabit uobis. Nemo igitur dubitet quin credere poßit, modo fidem à* DEO *petat qui omnium uult ſalutem iuxta promißionem conſtantiſsimam* DEI. Ezech. 33. Verſu: 11. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur impius à uia ſua & uiuat. Huic æterno* DEO *cum Filio æterno & ſpiritu ſancto ſit laus, honor, gloria, imperium in omnem æternitatem,*

Amen.

Con-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

GRATIA.

Consolatio Christianorum est dul-
cis & iucundus conscientiæ sensus ex fi-
de Adoptionis in CHristo, & ex spe
glorificationis per eundem per spi-
ritum sanctum excitatus cum
pio viuendi & mori-
endi propo-
sito.

Errata

Pag. A. 6. Vers. 18. pro Vers. 26.
lege, Vers. 36. Pag. B. 1. Vers. 6. lege,
gratia est uniuersalis. B. 5. Vers. 15. pro
quia: lege, qua.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3

HAFNIAE

Impreſſit Iohannes Stoc-
kelman.

Sumptibus Henrici VValdt-
kirch: C. & B. Hafnienſis:
apud quem etiam ue-
nalis extat.

ANNO

M. D. XCV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 911 8° copy 3